

QUESTIO XXVI.

An viri, quos habuit Samaritana, legitimi extiterint?

175. Origen.

R. Efert Origenes tom. 31. Heraclionem, qui legebat, Sex viros habuisti, sed cum nostra vulgata legendum est, quinque viros, ut legunt ipse Origenes, & omnes codices, tam Latini, quam Græci. Sed tota difficultas est in hac materia: An hujusmodi quinque viri fuerint legitimi, an adulterini?

176. Quinque viri legitimi. August. Hilat. Athanas. Beda. Rupert. Cassian. Beauxalm. Toler. Barradas.

Communis sententia Patrum, ac Recentiorum tenet illos quinque viros fuisse legitimos; & illum, quem de presenti habebat, esse fornicarium, Ita D. August. tract. 15. in Joan. D. Hilarius de Trinit. D. Athanasius quæst. 58. ad Antiochum, Beda. Rupert. Simon Cassian. lib. 11. c. 1. Recentiores Beauxalmes, Toletus, Barradas. Et hoc intentant colligere ex textu, dicitur enim: Quinque viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir. Quinque viros habuisti, qui, verè erant viri, seu mariti, hoc enim propriè significat nomen viri, nunc autem quem habes, non tuus vir, quia fornicarius est. Et inquit citati Doctores, quod illi quinque viri permissibantur uni mulieri ex lege Samaritanorum, & illi quinque viri in hac occasione erant mortui, ut tradunt Divus Athanasius citatus, & D. Chrysostr. homil. de Samarit. & cum illo, quem de presenti habebat mulier, seortabatur.

177. Quinque viri illegitimi. Irenæus. Alber. Mag. Maldon.

Secunda sententia, & meo iudicio probabilior est, illos quinque viros, & illum, quem de facto habebat, fuisse illegitimos, & fornicarios. Ita docent D. Irenæus lib. 3. c. 19. D. Chrysostr. in Psalm. 13. Albertus Magnus citans Chrysostr. Maldonatus. Et probatur, quia Christus patefecit Samaritanæ ea, quæ erant occulta, & abscondita, & ira ipsa suis concivibus ait: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. Ex quo rectè colligit Cajetanus, quod Christus indicavit ei omnia, quæ egit ab adolescentia sua; inter quæ numerandum est, quod quinque viros habuisset; de hoc enim facit expressam mentionem Evangelista: & si hoc erat publicum, & manifestum, Christus non dixit mulieri sua abscondita ab adolescentia; nec ipsa miraretur, quod ille esset Propheta: ac proinde, ut ego existimo, ita mulier fornicabatur cum illis quinque viris, ut esset quid absconditum, & nullus sciret: & cum illo, quem habebat de presenti seortabatur mulier, quamvis in opinione vulgi reputaretur vir suus, ut supra dixi ex Lyrano, & aliis. Unde optimè Albertus Magnus, accommodat illud Jerem. 3. num. 2. Fornicata es cum amatoribus multis.

Alb. Magn. Jerem. 3.

178. Rupert.

Rupertus lib. 4. in Joan. per hos quinque viros intelligit quinque sensus, quibus congregatio Gentium luxuriabatur, & tunc copulata erat viro non suo, scilicet Diabolo. Communiter tamen Patres, D. Augustin. tract. 15. in Joan. Beda, D. Bonaventura, Hugo, intelligunt moraliter quinque sensus, quorum delectationi mulier se tradiderat. Et nunc quem habes, scilicet errorem, quem sequeris; & in quem cadit homo ex præcedentibus peccatis, non est tuus vir: quando enim succedit intellectus, qui regit, & gubernat

August. Beda. Bonavent. Hugo. Sensuum error, & deceptio per intellectum est evadenda.

animam, tunc succedit legitimus vir. Ait Sapiens Proverb. 1. num. 22. Uisquequo parvuli diligunt infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupiunt? Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum. Loquitur Sapiens cum dilectoribus mundi, quos parvulos, seu imperitos appellat, ut habet textus Hebraicus: Uisquequo imperiti diligunt infantiam? hoc est, ut explicat Hugo, & Lyranus, bona delectabilia, quia tanquam infantes intellectu carentes bona delectabilia, sensuum functione percipiunt. Ad quos clamat divina Sapientia: Convertimini ad correptionem meam, ad meam doctrinam. En proferam vobis spiritum meum; id est ut ibi explicat Salazar, mentem meam, animi mei sensum vobis exponam, ut cum vera cognitione intelligatis, quæ utilia sunt. Unde ait S. Nilus in Alcatice: S. Nilus. Quando ludis per illos delectantur, nondum virilem sensum accipiunt: quando in agendo erinus infantibus imbecilliores? ab illis saltem discimus, ad præstantiora contendere, & subdit, ad verum intellectum conscendere.

Hugo. Lyrano.

QUESTIO XXVII.

Quanta prudentia Christus Dominus Samaritanam reprehendat?

R. Eprehendit Dominus hic Samaritanam: Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. Qui etiam frequenter objurgabat Phariseos, & Scribas; vocabat enim eos hypocritas, sepulchra dealbata, gemina viperarum, generationem pessimam, & adulteram, & cum tam rigide Dominus in Phariseos inveheretur, existimat Chrysostr. citandus, quod durius Dominus hic mulierculam tractaverit, quam ipsos Phariseos. Sed unde tanta acerbitas, & asperitas in hujus mulieris reprehensione, cum ejus tantum delicta, ac adulteria absque ulla exaggeratione ei Dominus explicaverit, ut dixi in expositione? D. Chrysostr. hom. 31. Gravius, ait, quam illos, Dominus reprehendit; hoc enim unius peccatum erat illud commune pluribus; neque ita communibus, ut propriis objectis criminis offendimur. Peccata quæ suggillantur in femina, illi erant peculiaria, illique soli dicebantur: nunc, quem habes, non est tuus vir, & multo magis non pungit ac rubore afficit, dum in particulari reprehensio infligitur, quam illa, quæ in communem multitudinem fertur; nam aliquid in calamitate levamen ex ipsa similitudine hauritur.

179.

Chrysostr.

Gravius, pungit reprehensio in muliere, quam qua in communi datur. Ex societate levamen in calamitate.

Dominus tamen mira mansuetudine, prudentia, ac lenitate mulierem reprehendit, ut eam ad poenitentiam invitet, ut docent ipsemet Chrysostr. hom. de Samarit. D. August. tract. 15. in Joan. Eusebius hom. de hoc Evangelio Rupertus, Beda, Albertus Magnus, D. Thomas, & alij. Imò, ut ipsa reprehensio mulieri fieret suaviter, & eam laudavit: Bene dixisti, verum dixisti, quo artificio usus est Paulus, ut suos Corinthios, ad veram doctrinam adduceret. Ait illis, 1. Corinth. 1. num. 22. Nunquid domos non habetis manducandum, & bibendum; aut Ecclesiam Dei contemnitis & confunditis eam, qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos, in hoc non laudo.

180.

Chrysostr. August. Euseb. Rupert. Beda. Alber. Mag. D. Thom. V. fortius reprehensio capitur, ante illam laus præmittatur. 1. Cor. 11.

Hoc

Remigius. Hoc est, ut explicat S. Remigius, D. Thomas, & alij, in aliis rebus laudo vos; at verò in hoc; quod Ecclesiam Dei despicabilem facitis, ac vestram obdorationem in pauperes ostenditis; non laudo vos. Sed quomodo divinus Paulus eos laudat, ut merito addubitet D. Thomas, cum peccator non sit laudandus, ut probat ex Psalm. 9. juxta Hebr. 18. num. 3. Quoniam laudatur peccator in desideris anima sua, & iniquus benedicitur: exacerbat Dominum peccator. Et Isai. 3. n. 12. Popule meus, qui te laudam, ipsi te decipiunt. Bonus Doctor Gentium prius eos laudat, ut ipso blandiori verbo, ut ait Theophyl. eorum animos reconciliaret; ut mihi reprehensionem caperent. Unde eleganter loquitur D. Chrysostr. ibi hom. 27. Quod si quis eo maxime miretur, quod cum peccatore vehementer post tantorum peccatorum reprehensionem, & tangere debuisset, ipse contrarium faciat: remissius enim loquitur; & dat ut respiciat; cum Medicus si optimus, vicissim vulneribus sectionem inducit. Expende illud verbum, dat ut respiciat; quia non semper in reprehensione instantum;

D. Thom.

Psalm. 9.

Isai. 3.

Theoph.

Chrysostr.

181.

Apoc. 1.

Rupert. Reprehensio aliquando est laudo de muliere.

In hujus rei argumentum expendo cap. 2. & 3. Apocalypseos, ubi septem laudantur Episcopi Ecclesiarum Angelij & statim de nonnullis ipsorum defectibus arguuntur. Deus Episcopum Ephesinum reprehendens ab ejus laudibus sumit exordium: Scio opera tua, & laborem, & patientiam; & non potes sustinere malos; Apoc. n. 2. Et statim ad ejus reprehensionem devenitur; Sed habeo adversus te pauca, ait, quia charitatem tuam reliquisti; ibid. n. 4. Et iterum, ad ejus laudes dirigitur sermo: Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odii, ibid. n. 6. Sed ad quid una reprehensio tantis laudibus circumvallatur, nisi ut facilius audiat, & suavior fiat in animo delinquentis? Rupert. ibi: Notanda dispositio sermonis; ait, quam artificiosa sit. Priusquam emitteret austeritatem reprehensionis; quæ laudanda erant collaudavit. Et post ubi corripit; ac minas intemdit, rursus; quod laudandum; erat laudavit. Ita reprehensionis amaritudinem, ut nimis offenderet, atque existeret, collaudationis dulcedine circumlinovit.

Joannis 4. n. 19. Dicit ei mulier, Domine video, quia Propheta es tu.

VERSIONES.

Syracus. Domine mi, video te esse Prophetam. D. Chrysostr. Videris mihi Prophetam esse. Alqui ex Græco. Contemplor te esse Prophetam.

EXPOSITIO.

QUANTUM distat hæc prudens mulier, dum reprehenditur à Phariseorum pessimo ingenio, ut pulchrè expendit D. Chrysostr. homil. 31. Perum, ait, Iudæi reprehensi molestè ferunt, & dicente Iesu; Quid me quæritis interficere? Sylvester in Evang. Tom. 11.

182.

Chrysostr.

non solum non admirantur, quemadmodum mulier; sed maledicunt ei, & conviciantur, dicentes: Demonium habes, quis te quærit interficere? Joan. 7. num. 20. Atque ex aliis signis illum cognoscere poterant. Samaritana hoc duntaxat acceperat, & non modo nil maledicis, sed admiratur, & stupet, & Prophetam autumat. Dum Samaritana se videt redargutam, non exardescit, non contumeliosè respondet; sicut Pharisei, qui correpti à Christo ita exardescunt; quorum vestigia; proli dolor tenemus, qui si uno verbo admoniti, statim totis viribus in corripientem, ut notat Hugo, insurgere volumus. Eccl. 21. n. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris. At mulier æquo animo passa est reprehensionem, & quamvis sua à Christo audierit delicta, eum reverenter alloquitur: Domine. Jam tertio eum Dominum appellat: Domine, neque in quo habuisti n. 11. Domine da mihi hanc aquam, n. 15. Et nunc tertio: Aliter verò fatua illæ virgines bis dicunt: Domine Domine aperi nobis, Matth. 25. n. 11. & deest tertium Domine; quia, ut suo loco dicam ex D. Gregori; & Hilari. fide, & spe dicunt bis: Domine, Domine; & quia non habuerunt charitatem; non valuerunt tertio dicere, Domine. Et ideo audierunt: Nescio vos. At Samaritana fide creditur Prophetam, & Messiam; speravit aquam vivam; charitate cucurrit ad civitatem, & omnes traxit ad Christum. Et ideo meruit ingredi ad nuptias Agni.

Prudens mulier reprehensione non irascitur.

Hugo. Eccl. 25.

Matth. 25. Gregot. Hilat.

Charitas nec cessat, nec ad salutem ingreditur.

183.

Rupert. Hugo.

Chrysostr.

Deuter. 18.

Chrysostr.

Hieron. Nulla ruina nec peccatis est desperanda.

QUESTIO XXVIII.

Quare ex verbis Christi mulier intellexit, ipsum esse Prophetam?

Propheta, ut docent Divus Chrysostr. & Divus Thomas, & Albertus Magnus hic dicitur, qui absentia, & incognita annuntiat. Quod explicans Suarius tom. de fide, disp. 8. Suarius. p. 2. sect. 3.

184. Chrysostr. D. Thom. Alber. Mag. Suarius. p. 2. sect. 3.



Quid sit prophetia.

Rupert. Carthaf. Hugo.

sect. 3. n. 1. ait: prophetia proprie est quaedam cognitio ex divina revelatione indita qua res occultissima alicui manifestatur; et aliis annuntiet. Unde Rupertus, Carthofianus, Hugo, & alij docent, prophetiam annuntiare vel futura, vel praeterita vel praesentia abscondita. Unde; cum Christus Dominus dixerit mulieri id, quod erat occultum, de quinque viris; quos habuit, & id, quod erat occultum, de viro, quem de praesenti habebat, ut dixi quasi. 26. n. 177. qui reputabatur vir suus, & non erat, recte ergo mulier intellexit, & intulit, Christum esse Prophetam. Ad alias rationes morales deveniamus.

185.

Primo respondeo, quod cum Christus Dominus dixerit Samaritanam; quod quinque viris fuerit conjuncta & hunc, quem habes, non est tuus vir, ex eo intulit mulier, *Propheta es tu, sed quomodo haec sit consequentia? Nam quod illa tot viris fuerit copulata, res erat ex se ac natura sua, humana industria cognoscibilis, ac multorum oculis patens; cum ergo Dominus denuntiaverit illa, quae humana intelligentia facile deprehendi poterant, quomodo mulier eam Prophetam appellat? Totus discursus verus est; & quod tot viros habuerit, res erat non effugiens humanum captum; tamen Samaritana ita caute, & circumspecte debebat, ut ad sua dicta deprehendenda, veluti quodammodo prophetiae donum exigeretur. Valde peccatum, quod tot peccatis se homines commiserant; tamen eum non ita caute fiant, ne aliis offendicula praepararent? De quo maxime arguitur populus Israeliticus ab Isaia. 52. n. 55. & refertur a Paulo ad Rom. 2. n. 24. *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes, seu, ut legit D. Cyrillus, Nomen meum per vos male audit in gentibus.* Ubi Dominus conqueritur de scandalo; quod cum peccatis suis dabant Israelitae, & inde multas in nomen Dei gentes diffundebant blasphemias.*

186.

Secundo, si verò dicas, quod peccata Samaritanæ erant notoria in civitate, & quod multis non erant abscondita, sed manifesta, ut saepe contingit in simili casu, praecipue in muliere, quae habebat cupiditatem, quam refranare non poterat, ut de ea refert D. Athanasius, 7. ad Antioch. Quomodo ergo ex eo quod Christus ei dixerit, quinque viris fuisse copulata, & nunc cum alio, qui vir suus non erat, inde Christum Dominum aperta voce Prophetam profiteretur? Samaritana agnovit, Christum esse alienigenam; *Quomodo tu, Judaeus cum sis; & in tanta aestimatione appreciavit suos concives, ut apud se esse fixum, & determinatum, quod ex civitate nullus exiret, qui alienis suorum patriciorum delicta evulgaret, ac aperiret. Cum David accepisset mortem Saülis, & Jonathae, in multas lacrymas prorumpens ait suis: Nolite annuntiare in Geth; neque annuntietis in campis Aftalonis, 2. Reg. 1. n. 20.* Ubi Cajetanus, advertit, quod dicitur annuntiationem in plateis Philistinorum, Sed quomodo David prohibet; quod res tam publica annuntietur, & eorum annuntiationem detestatur? Nam, cum David suos milites, tanquam bonos clientes, & regni nutrijos aestimaverit, pro certo habuit, quod Regis ac Principis humiliationem alienis non publicarent.

187.

Tertio, cum Dominus discumberet ad mensam, venit Magdalena, & lacrymis cepit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, &

ofculabatur eos. *Videns Pharisaeus aut intra se: Haec si esset Propheta, sciret inique, quae, & qualis esset mulier, quae tangit eum, quia peccatrix est, Luc. 7. n. 39.* At Samaritana ex Christi colloquio, infert, esse Prophetam; Cap Pharisaeus negat Christo prophetiae donum, quod in ipso cognoscit mulier Samaritanae? Pharisaeus falso; dicit sibi persuasit, Christum Dominum peccatricis delicta dissimulasse & non corripuisse; ac Samaritana vidit, quod Dominus ipsam reprehendebat de suis inique factis: *Et hunc, quem habes, non est tuus vir; ideo illa Prophetam eum esse, indubitante asseverat. Tunc enim maxime innotescit aliquem esse Prophetam, Magistrum, ac doctorem, quando aliorum delicta corripit, & arguit. Jam non est Propheta, lamentabantur Israelitae, nos non cognosces amplius, Psal. 73. n. 11.* Hoc est, ut explicat Genebrardus, jam sumus sine Prophetis, qui nos pascant verbo Dei, & doceant.

Tunc aliquis se ostendit prophetam & doctorem cum aliorum delicta reprehendit.

Psalm. 73; Genebrard.

188.

Quarto, Ex eo quod Christus Dominus dicit Samaritanæ sua peccata, quomodo ipsa colligit, quod sit Propheta? Nam Diabolus illa bene agnoscebat, cum essent adulteria, & actus extrinseci praeteriti, vel praesentes, quos Diabolus agnoscebat. Verum est, quod hujusmodi actus extrinseci ordinariè loquendo, non effugiunt intellectum Diaboli, quamvis eos edicere non solet, praecipue ad utilitatem alicujus. Qui vero hujusmodi delicta annuntiat, ut alios possit ad meliorem viam reducere, hic, se esse Prophetam, & virum Dei demonstrat.

Diabolus intentat, ac culat, tunc delicta, vir Dei corrigit, ut emendet.

189.

Cum Naas Ammonites vehementi obsessione premeret urbem Jabes Galaad, postulantibus civitatis habitatoribus foedus, & amicitiam, ait Naas: *In hoc feriam vobiscum foedus, ut eruant omnium vestrum oculos dexteros, 1. Reg. 11. n. 11.* Contra verò bonus Angelus felle piscis mandavit adolescentulo socio suo, linire oculos senioris Tobiae, qui statim visum recepit, *Tob. 11. n. 1.* Sed cum Naas totis viribus intentat eruere oculos dexteros; Angelus vero eos restituit; Naas adumbrat Diabolum, qui oculos dextrum, scilicet intellectum, ac intelligentiam delictorum à nobis vult eruere, ac repellere, ut explicant D. Gregor., Beda, Nilus in *Asterico*, Petr. Dam. lib. 4. *epist. 5.* ut ita homo totus caecus in suis operibus permaneat. At bonus Angelus felle, ac amaritudine reprehensionis, ut innuat Glosa oculos aperit, caecitatem excludit, ut nostra antea facta in memoriam reducat, ut homo inde ad veram lucem Dei ascendat. Unde ait S. Ether. lib. 1. contra Elipandum. *Prorsus à nostra est repellendus Diabolus amicitia, quia, dum tenebrarum, in quibus semper est, caligines insensit, consentientibus sibi lumen exinguit. Et post pauca subdit: Sequamur & sanctos Angelos, qui Angeli nostris sumi ut nos doceant, & illuminent.*

1. Reg. 11.

Gregor., Beda, Nilus, Petr. Dam.

Ethet.

Joannis 4. n. 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt; & vos dicitis: Quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.

VERSIONES.

Syriacus. Esse locum, ubi oporteat adorare.

Varablus

In peccatis ne demus scandalum, sed caute fiant. Hlat. 52. Rom. 2. Cyril.

Athanas.

Concivium delicta alienis ne publicentur.

2. Reg. 2. Cajetan.

Varablus. Hierosolymis esse locum ubi oporteat adorare.

EXPOSITIO.

190. Theophyl.

D. Thom.

Mulier cu riosa & sollicita de futuris.

Chrysof.

Ammon. Origen. August. Chrysof. Theophyl. Euthym. Beda. Rupert. Ioseph.

191.

Ammon. Cassian. Alber. Mag. Euthym. Elyan.

Mulieris ingenium augere sermonem.

Mulier, ut ait Theophylactus, quae paulo ante sollicita erat, ne sit ultra vexaretur, jam de dogmatibus rogat. Unde ait D. Thomas: Admiranda est mulieris diligentia; quia mulieres, utpote curiosae, & in-fructuosae, non solum infructuosae, sed & otiosae; sed haec mulier non de futuris, quamvis esset cum Propheta; non de mundanis eum interrogat, sed solum de his quae ad Religionem pertinent: Unde maxime eam laudat Chrysofomus homil. 31. *Quod cum opinaretur Prophetam, non amplius terrena interrogat, non bonam corporis valetudinem, non pecunias, non opes, sed doctrinam.* Prosequitur mulier suam orationem: *Patres nostri, scilicet Samaritanorum, & Judaeorum, Abraham, Isaac, & Jacob. Ita explicant Ammonius Origenes, D. Augustinus, D. Chrysofomus, Theophylactus, Euthymis, Beda, Rupertus. Et, cum esset Samaritana, hos vocat Patres, jam, dixi supra numero 130. In monte hoc adoraverunt.* Digno ostendebat montem Garizim proximum civitati Sichem, ut testatur Iosephus lib. 5. *antig. cap. 9.* ita ut è vertice illius colloqui possit cum civibus illius oppidi, *Judic. 9. nam. 7.*

Et vos dicitis, Hierosolymis esse locum, ubi oporteat adorare. Vos scilicet Judaei vultis, ac contenditis quod tantum in Jerusalem in monte Sion, ubi est templum, licita sit adoratio. Mulier autem hic per orationem intelligit sacrificia, & oblationes, ut recte observant Ammonius, Simon Cassianus lib. 11. cap. 2. Albertus Magnus, Cartho. Lyran, & alii. Nam adorare, puras manus levando in caelum, in omni loco licitum erat. Et ita orant Daniel, Ezechiel, tres pueri in fornace, & alii multi. Sacrificare autem, solum erat licitum in Jerusalem in templo, ut dicam quasi sequenti. Et ita mulier per orationem intelligit oblationes. Nisi velis dicere, quod Samaritana, mulieris ingenium secuta, loquitur ampliando, & angendo sermonem, ita ut pro oblatione ponat adorationem, quod est multo quid latius.

QUESTIO XXIX.

De controversia inter Iudeos, & Samaritanos de loco adorationis, & sacrificii.

192.

Ex quo principio templi illud fuit edificatum in monte Garizim.

Samaritana in monte Garizim erat templum aedificatum persimile Hierosolymitano aedificio. Cujus extractionis causa fuit, quod cum Alexander Magnus, devicto Dario Persarum Rege Syriam esset potius, contigit, ut quidam Manasses frater, & collega Iaddi Pontificis Iudaeorum, uxorem duceret filiam Sanaballetis genere Cuthaei, qui constitutus erat à Dario praefectus provinciae Samaritanae. Cum autem Pontifex, & seniores Iudaeorum id agerent altari Hierosolymitano prohibebant Manassem, nisi alienigenam uxorem Lege vetitam dimitteret, Sanaballetes promisit Manassi genero suo, se illi, non solum Sacerdotium, sed & Pontificatum in Evangelio. Tom. II.

tificatum paratum, & totius suae provinciae eum Principem facturum, modo filiam suam in uxorem retineret. Et in hujus sollicitationis, fidem, ei aedificavit templum Hierosolymitano simile in monte Garizim; qui imminet Samaritanae, reliquis montibus celsior. Et paulo post accedente consensu Alexandri Magni Manasses illius templi constitutus est Pontifex. Ita referunt Iosephus, lib. 11. *antig. cap. 7. & 8.* Tornellius anno mundi 3721. num. 2. Salian. tom. 9. eodem anno mundi. Et ita illud templum schismaticum aedificatum est adversus Hierosolymitanum.

Cum autem in Deuteronomio esset praecipuum à Domino cap. 12. n. 13. *Cave, ne auferas holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus;* dicebant Samaritani, ut notat Franciscus Lucas, locum electum à Domino esse templum Garizitanum. Quod ex eo probant, ut notat D. Chrysofomus homil. 31. Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonaventura, quia Jacob veniens è Mesopotamia eo in loco crexit altare, & ibi invocavit foissimum Deum Israel, Gen. 33. num. 20. Et ex hoc monte datae fuerunt benedictiones observantibus legem, Deuteronomio. 2. 7. n. 12. Quod autem aliqui scribant, Abraham in illo monte filium suum immolasse, non videtur verum; hic enim fuit mons Moria, Gen. 22. qui, ut multi putant, est mons Calvariae. Et haec dicebant Samaritani pro sacrificando in illo monte; quia solos quinque libros Moysis recipiebant.

Omnium est sententia, quod in templo Hierosolymitano esset sacrificandum. 2. Paralip. 7. n. 12. ait Deus Salomoni: *Audivi orationem tuam, & elegi locum istum tibi in domum sacrificii Sapien. 9. n. 8. Dixisti, me aedificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuae altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod praeparasti ab initio. Psal. 131. n. 7. Involubimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Et hoc patet ex aliis innumeris locis: Jacob autem sacrificavit eo in loco, quia nondum lex de templo Hierosolymitano erat data.

Phorius in *Catena Graeca* pungit Judaeos, & Samaritanos circa hanc controversiam, ex eo quod quilibet eorum contendebat, ut tantum in eorum terra, & templo Deus adoraretur. Concludens ita ait: *Quasi semel tota ibidem incomprehensa illa & ineffabilis natura, in unum quodammodo compacta, & circumscripta foret. Quamobrem tanquam omnino rudes hac in re, atque imperiti, voce Prophetarum reprehensi sumus, dicente Domino: Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, Hlat. 66. num. 1. Magnus Pater arguit insipientes Judaeos & Samaritanos, existimantes, quod supra Dei majestas, in illo suo templo concluderetur. Immo, ut ait Sa, quasi alibi nemo posset placere Deo. Cum enim Deus sit immensus, & infinitus, à nullo loco circumscribitur, nec continetur. Quod multis probant Theologi ab 1. part. quasi. 3. 1. Et pereleganti operatione probat D. Hieronymus ad civitatem Isaiae locum. *Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Ex illo loco ipsius Isaiae. c. 49. Hlat. 40. num. 12. *Caelo palmo ponderavi, apprehendit tribus digitis molem terrae.* Sed quid unquam suam sedem continet manu, vel digito, sed potius continetur ab ea. Haec ita sunt dicta, ne quis arbitraretur, Dei magnitudinem caelo, vel terra metiri.*